

99 100 101 102 103 104 Assignat Rubrica quinque corporis humani partes inungendas, et postea enumerat septem. Verum haec non est contradictio; cum enim per quinque partes intelligantur quinque sensuum instrumenta, duae illae partes adjunctae relationem habent ad aliquem illorum quinque sensuum. Per oculos, nares, aures, os, et manus, intelliguntur sensus Visus, Odoratus, Auditus, Gustus, et Tactus, cum quibus homo incidere potest in peccatum, Eugen. IV. in *Conc. Florent.* Per pedes vero, et renes non de novis, et diversis sensibus intelligit, sed de duobus ex illis: Pedes enim cadere possunt sub sensu tactus, et renes sub sensu non tam tactus, quam delectationis. Pes gressu delinquere potest, et Renes per lumborum delectationem, ideo in verbis formae dicitur de Pedibus: *Quidquid per gressum deliquisti*, et de renibus: *Quidquid per lumborum delectationem deliquisti*, aliqui dicunt: *Per ardorem libidinis*, Panormitan. *Brev. not. de Extr. Unct. nu. 3.* Sunt tamen nonnulli Philosophi recentiores, qui lumborum delectationem, et actum venereum, esse sensum aucupantur a quinque consuetis humanis sensibus diversum, et de per se. Quidquid sit de hoc, ut ad mysterium, et significationem harum unctionum deveniamus, instituit pia Mater Ecclesia, ut ungerentur istae partes ad medelam cuique sensui applicandam. Sensus enim sunt cognitionis fontes, et quaedam quasi scelerum origines, cum humana cognitio ortum habeat a sensu, S. Thom, 4. *dist. 23. qu. 2. art. 3.* Victorell. *pag. 61.* Imo Sacramentale Brixinen. *d. de Extrema Unctione, §. 8.* de Renibus loquendo dicit: Ugendis sunt lumbi, sive Renes: in his enim vigent peccatorum radices, quibus proinde medicinam adhiberi convenit.

105 106 107 Quinque igitur essentiales Unctiones sunt in hoc Sacramento, et duae integrales tantum, quae sunt Pedum, et Lumborum; quarum postrema, ut plurimum in Viris omittitur, semper vero in Foeminis, honestatis gratia. Sed si Foeminae efflagitarent ungi quoque in lumbis, non essent audiendae a prudenti Parocho, cui non deerit modus illis suadendi, ut abstineant ab hac unctione: nullo enim pacto in usu poni debet vana, et pene ridicula; si non audax doctrina Victorell. *d. pag. 62.* qui de unctione lumborum loquens (pudet quasi dicere) haec ait: *Si saecularis Foemina hac unctione linienda sit, prope umbilicum inunge; is locus luxuriae sedes in Foemina, fortitudo illius in umbilico ventris ejus*, Job. 40.

108 109 In Viris vero, cur ut plurimum praetermittatur haec unctio lumborum, penitus ignoro. Secluso in commodo, quod non nisi in plusquam gravissime laborantibus occurrere potest, facilis usus est, ungerendo ab utroque latere lumbos: et hoc facillime mihi accidit, dum per septennium Praefectus essem in nobili Nosocomio *Battutorum Alborum* nuncupato hic Fer-

rariae, et innumeros Viros Sacro Oleo, non minus in aliis partibus, quam in lumbis inunxi, et nonnullos audivi hoc praecipue postulantes.

Atque hoc loco, nequeo tacere de prava, scandalosa, et omnino rejicienda opinione superallegati Victorelli, qui ad *pag. 62.* ejus Tractationis *de Sancto Extremae Unctionis Sacramento*: ait: *Si saecularis Foemina hac Unctione linienda sit, prope umbilicum inunge: is locus luxuriae sedes in Foemina*, ex S. Greg. *homil. 13.* An ne pejus audiri potest? Honestatem Mulieris aequiparat honestati Hominis, subdens: *Hanc unctionem in Foeminis praetermissam, in Viris quoque praetermittas: nam idem Ordo, et Ritus cum utrisque usurpandus.* Sed quorsum haec? ego dico, quod hoc admissio, si non debent inungi renes aegrotantium, sive non possunt absque gravi incommodo, neque debent inungi partes illis viciniore: ideo praetermittenda haec unctio; nec pro lumbis ungerendum pectus Foeminae, ut aliqui faciunt juxta sententiam Panormitani, *de Extr. Unct. §. 2.*

§. XVI. Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.

110 111 112 Hoc fit, quia Sacerdotes in palma manuum uncti jam sunt ab Episcopo in ordinatione Sacerdotii, ideo infra palmam, vel in exteriori manus parte ungi solent: *Sacramentale Brixinen. d. §. 8.* Barbosa *d. n. 32.* et alii ab eo allegati, inter quos Palud. *in. 4. dis. 23. q. 3. art. 3. conc. 5.* non approbans supra adductam rationem, dicens nihil referre, si Sacerdos etiam in ipsis palmis inungeretur, cum haec Unctio ab altera diversa sit, et Sacerdotes utique posse per sensum tactus peccata commisisse; qui tactus sensus censetur habere praecipuam sedem in interiori parte manus. Nec solus est Paludanus citatus, qui excludat hanc rationem: est et Archangelus Rubeus *in 4. Sent. allegat. a Victorell. p. 62.* qui eam reprobat, dicens insulsam esse rationem praeventivae Unctionis in consecratione, quia in Extrema Unctione non linitur Oleo Sacerdos, ut iterum consecretur. Ultraquamquod Unctio in exteriori manus parte non adimplet significationem formae, quae dicit: *quidquid per tactum deliquisti*, tactus enim in interiori manus parte majorem vim habet. Censet igitur hic Author, Sacerdotis quoque manus interius liniendas esse. Verum nimis facile resistit determinationi Ecclesiasticae, et ab universa Ecclesia, et a Summis Pontificibus approbatae; et ideo haec

sententia amplecti nequaquam debet, nec praxi demandanda, cum obstet Rituali.

113 Ego aliam a me excogitatum rationem adducam; et erit. Inungitur Sacerdoti manus in parte exteriori, ut si sensibus in illo actu, Sacerdos valeat, advertat dignitatem suam, per quam ab aliis quibuscumque distinguitur, et sic peccatorum suorum a manibus suis commissorum poeniteat: quarum manuum usum habitum in consecratione, et tactu divini Corporis Christi, ad alium nefandum usum convertere non debuerat. De facto manus Sacerdotum, omni veneratione dignae sunt tam ob Sacram Unctionem, quam ob familiarem tactum Sanctissimae Eucharistiae: unde dignissimus P. Antonius Molina Author *instructionis pro Sacerdotibus*, solebat dicere: Sacerdotum manus, si fieri posset, debuisse continuo, saltem in chirotecis teneri, ne quid profanum ullo unquam tempore pertracterent.

§ XVII. Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat ne altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

114 115 Haec advertentia est ad majorem Sacramenti majestatem, et decorem, non autem de necessitate Sacramenti, sicuti neque ordo in unguendo, quia mutato ordine, adhuc completa manet significatio, ut per Possevin. *c. 9. num. 14.* Bonac. *qu. unic. punct. 2. n. 20.* et Barbosa *d. n. 28.* Si enim in unguendo, v. gr. oculum unum, absolveretur tota forma, et singula ejus verba, quaenam quaeso forma, seu quae verba remanerent pro inunctione alterius oculi?

§ XVIII. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars illi loco proxima inungatur, eadem verborum forma.

116 117 Mutilationes in toto corpore accidere possunt, et membra obtruncari: unde quaerendum est, quid agendum a Sacerdote, si infirmus Oleo Sancto unguendus careret aliquo sensu? Crescit ulterius difficultas si unguendus abundaret sensibus, seu sensuum instrumentis, et plures, v. g. quam duas manus haberet, et similia; vel si ita vitiosus, et imperfectus fuerit

a nativitate, ut nusquam usum habuerit hujusmodi instrumentorum?

118 In his casibus Rubrica docet, quod hujusmodi homo sit unguendus in parte proximiori organo deficienti; et ita communiter tenent Doctores, quos citat et refert Diana *p. 5. tr. 6. resol. 11. op. coord. cui Cleric. ibid. dec. 67. n. 9.* addit S. Th. *in suppl. 3. p. qu. 32. art. 7.* S. Bonav. *in 4. dist. 23. p. 2. q. 3. et alios.*

119 Si vero isti abundant sensibus, hoc est habeant tres manus, tres vel quatuor pedes (ut in monstris potissimum datur) unguendum est membrum illud, quo magis sani usi sunt, vel quod magis in naturali parte corporis collocatum est, adeo ut, dempto membro superfluo, corpus bene, et perfecte organizatum dici posset.

120 Quod si numquam usum habuerint membrorum, v. g. numquam viderint, nunquam audierint, vel tetigerint, etc. organo deficiente, vel inutili, quomodo verificari possunt verba formae: *quidquid per visum, auditum, tactum, etc. deliquisti?* Cui respondeo, Hominem non solum peccare posse per instrumenta sensuum, sed per potentias internas, quas habet in Anima. Anima enim non solum operatur per organa corporalia, sed etiam per potentias non organicas internas, quarum ipsa Anima est subjectum, S. Thom. *p. 1. qu. 77. art. 5.* et Compluten. *l. 1. de Anima, qu. 3. §. 1. et 2. disput. 6.*

Itaque quamvis caecus non videat organo oculorum, debent tamen oculi inungi propter peccandi concupiscentiam. *Sacram. Brevin. d. §. 8.* quia interius cupit videre, et ex illo desiderio, si immoderatum sit, potest nasci peccatum, quod expiatione indigeat. Quod de oculis dixi, intelligatur de auribus, de manibus, pedibus, etc. quia licet haec instrumenta desint, attamen per desiderium circa illa, peccare quis potest.

Porro in unguendis partibus vicinioribus membro mutilo, consueta forma adhiberi debet, eo quia potentialiter censeretur debet adesse id, quod deest.

§ XIX. Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Ecclesia utitur, sollemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait, etc.

121 Huc usque de materia sive proxima, sive remota, et de subjecto hujus Sacramenti Rubrica loquuta est: modo nonnulla dicit de forma, quae a Rituali vocatur *Precatio*; unde deprecativa deberet dici: Attamen super hoc nonnulli Auctores contendunt, ut apud Coninck *d. dub. 4.* et apud Clericat. *d.*

dec. 66. a num. 1. ad. 16. Sed non video, cur tam fervens quaestio exoriri debeat, cum textus Rubricae clare loquatur dicens: *Precatio*, non *Indicatio*: unde deprecativo, non imperativo seu indicativo modo, ea debere uti Sacerdotes desumere debemus: Ratio multiplex est, sed praecipua eruitur ex verbis S. Jacobi. *Orent super eum, etc.* quam approbat S. Thomas in *supplemento*, qu. 29. art. 8. Barbosa *de potestate Parochi*. n. 35. §. *fit autem*, et Clericatus in enuntiato loco n. 7.

§. XX. Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per Visum, sive per Auditum, etc. deliquisti. R. Amen.

122 123 124 125 Haec forma tradita est a Concilio Florentino, in Decret. Eugenii IV. et a Trident. *sess*, 14. *de Extr. Unct. cap.* 1. Vide apud Clericatum alias varias formas, quibus, in variis Ecclesiis antiquitus Parochi utebantur, *decr.* 68. *per tot.* Repetitur haec forma in Unctione cujuscumque sensus mutato tamen nomine sesus, seu organi, sive membri, quod inungitur: atque hoc ex necessitate praecepti, Barbosa *dict. num.* 34. qui ulterius ait, *num.* 28. in quinque sensibus ungen- dis, non esse necessarium ordinem servare de necessitate Sa- cramenti, quia mutato ordine, adhuc completa manet significa- tio, Possevin. *dict. cap.* 9. *num.* 14. Vide significationem Ver- borum hujus formae apud Coninck *dict. disp.* 19. *dub.* 4. *nu- mer.* 14. 15.

Nonnulli in casu ultimae agoniae, quando tempus non sup- petat omnes, et singulas Unctiones faciendi in moribundo, uni- cam Unctionem faciunt in fronte morientis, formam quinque sensuum conglomerando, hoc pacto. *Per istam Sanctam Unc- tionem, etc. Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per Visum, Auditum, Odoratum, Gustum, Locutionem, Tactum, et Gressum. Amen.* Quae forma compendiosa, ob causam ne- cessitatis, utique valet, sed a Rituali don indicatur: et a con- suetudine est tatummodo introducta, et approbata. In quo hoc est advertendum, nempe Verbum *deliquisti* debere ante- poni aliis verbis post *quidquid*: nam si aeger moreretur ante verbum *deliquisti* prolatum, Unctio nulla esset.

ORDO

MINISTRANDI SACRAMENTUM

EXTREMAE UNCTIONIS.

TITULUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 An Laici ministrare possint Sacramentum Extremae Unctionis?
- 2 Solus Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.
- 3 Parocho ex justitia, ratione Officii incumbit illud ministrare.
- 4 Parochus peccat si neget sine causa ministrare illud Infirmo.
- 5 Quivis Sacerdos valide ministrat hoc Sacramentum.
- 6 Solus Parochus extra necessitatem potest ministrare.
- 7 Religiosi absque licentia Parochi ministrantes, excommunicantur.
- 8 Alii Sacerdotes graviter peccant.
- 9 Mappa candida supra mensam paranda in cubiculo Infirmi.
- 10 Altare extemporaneum efformandum in cubiculo Aegroti.
- 11 Patinula pro floccis Gossypii paranda.
- 12 Bombacium ferri debet a Parocho.
- 13 Bombacium partitur in septem globulos, seu floccos.
- 14 Flocci singuli reponendi post singulas unctiones.
- 15 Medulla Panis est maxime abstersiva.
- 16 Quare Panis, et non alia materia proponatur ab Ecclesia?
- 17 Digni Sacerdotis post unctionem lavandi.
- 18 Lumen accendi debet in administratione hujus Sacramenti.
- 19 Candelae accensae parandae pro hac administratione.
- 20 Lumina non ex Candelis sebaceis, neque ex Oleo.
- 21 Membra Infirmi inungenda, prius lavanda si commode fieri possit.
- 22 Res parandae prius indicandae sunt Ministro, seu assistenti Infirmis.
- 23 Administratio hujus Sacramenti non facienda subdole.
- 24 Modus pergendi ad Infirmum cum Oleo Sancto.
- 25 Administratio debet fieri omni decenti pompa.
- 26 Penuria ministrorum nocet huic decori.
- 27 Clericum saltem unum adhibere debet Parochus.
- 28 Si non habeatur minister, Parochus procedat solus.
- 29 Oleum Sanctum non deferitur sine lumine.
- 30 Oleum Sanctum in cubiculo Parochi non servandum.
- 31 Permittitur quando adsit fenestella bene parata.
- 32 Crux sine hasta deferenda est in delatione Olei Sancti.
- 33 Quare sine hasta?